



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 3. Qualitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

§. 2. *Quantitas.*

NIHIL certi hîc pronunciari potest propter ignorantiam eorum locorum, de quâ in veterum erroribus lib. 2. primæ part. To. 1.

§. 3. *Qualitas.*

Hic maximum frigus omnes veteres agnoscunt : Sylvas immensas Mela, vt & lætissima pascua fluuiis exuberantibus : quamquam alicubi tantam ligni agnoscat inopiam, vt dicat incolas vti ossibus pro ligno. Sed fertilissima Taurica Chersonesus, quæ aliàs pendit Mitridati Eupatori c x x c. medimnorum millia, & talenta argenti c c. vt hîc taceam de frumento in Græciam, & Athenas deportato. Piscatio quoque ad Meotidem paludem luculenta, vnde laudantur Taurica Salsamenta. Equos ferocissimos habet tota hæc regio, ideóque omnes castrantur vt mansuetiores sint : hæc & plura Strabo lib. 7.

§. 4. *Mores.*

MIXTA habebant connubia, hoc est communes vxores: Tacitus, eas autem colebant vt dominas: Stobæus. Sic obtegebant se pelli- bus vt tantum oculi, atque os paterent : Mela. Tertio die tantum cibum capiebant: Isigonus Nicaensis apud Plinium. Viuebant plerique in cauernis, Mela. Auri & argenti maximarum pestium ignari erant, idem Mela. Incolæ Chersonesi mansuetiores, & πολιτικώτεροι, sed lucro dediti, quare fures & piratæ: Strabo lib. 7. Interiùs habitantes feri, & crudeles. Bella & lites amant, quem primum interemerunt eius sanguinem ebibunt, & quo quis plures interemerit eò nobilior : neminem interemisse probrum maximum: Mela. Crudelitatis testes Thoas, & Diana Taurica: Herodotus lib. 4. tradit Iphigeniæ immolatos fuisse omnes naufragos, iis caput percuti clauâ, truncum in mare deturbari, caput affigi conto, & rectorum fastigio imponi. Strabo lib. 7. ideóque pontum olim ἄζευον dictum, quòd Scythæ hospites immolarent, deuorarent, & eorum caluitis pro poculis uterentur. Reliqua in singulis populis proferentur commodiùs.